

redditus in praediis, possessionibus seu bonis quibuscunque, imo etiam si bona huiusmodi a nobis et imperio feodaliter descenderent, possint et debeant comparare. Quae quidem bona cum emerint seu comparaverint ad dictos . . . decanum et capitulum Misnense, seu ad eorum ecclesiam volumus proprietatis titulo sine omni contradictione perpetuo pertinere, dantes supra dictis . . . decano et capitulo ac ecclesiae Misnensi has nostras litteras roboratas maiestatis nostrae sigillo in testimonium evidens super eo. Datum apud Fridebar^{a)} IIII. Nonas Augusti indictione sexta anno domini M°. CC°. LXXX tertio, regni vero nostri anno secundo.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Königs an Fäden von rother und grüner Seide.

a) Friedberg in der Wetterau.

No. 313. 1294. 6. Juli.

Markgraf Friedrich bestätigt die von seinem Grossvater, dem Markgrafen Heinrich gemachte Stiftung einer beständigen Vicarie in der Domkirche zu Meissen.

Fridericus dei gratia Mynsensis et Orientalis marchio, comes Saxoniae palantinus Mynsensi ecclesiae praesens scriptum perpetuo duraturum. Cum ex naturae debito thesaurizare filiis parentes, et non filii parentibus teneantur, filii et nepotes traditiones et vota patrum ac parentum observare non immerito tenebuntur. Facta siquidem pia ac laudabilia avi nostri bonae memoriae Heinrici Mynsensis et Orientalis marchionis, ratificata et confirmata per patruum nostrum felicis recordationis Fridericum marchionem successorem eiusdem avi nostri, observare et exsequi toto conamine cupientes, recognoscimus, quod privilegium ipsius avi nostri non cancellatum non abolitum nec in aliqua sui parte vitiatum vidimus in haec verba: In n. s. et ind. tr. Henricus — No. 125 — Capra et alii quam plures. Ut autem nullius ingratitude maculam contrahere vel incidere videatur, praedictam institutionem sive donationem gratam et ratam habentes confirmamus. Nihilominus data de novo damus volentes, ut ibidem memoria perpetuo habeatur, iniungentes omnibus officiais nostris sive monetariis, qui pro tempore fuerint, praedictam pensionem statutis temporibus, videlicet in festo sancti Donati tria talenta, et in festo beatae Walpurgis tria talenta sub obtentu gratiae nostrae solvere non obmittant. Datum et actum Dobelin anno domini M°. CC°. XC°. IIII°. pridie Non. Iulii praesentibus, quorum nomina sunt subscripta, videlicet venerabili patre domino nostro Bernhardo Misnensis ecclesiae episcopo, magistro Vlrico praeposito in Melnic Pragensis diocesis, domino Henrico, Vlrico et Herbordo capellanis dicti domini nostri episcopi, Petro de Dobelin plebano, capellano nostro, clericis, Meynhero Burgravio Misnensi, Henrico de Trebezcin, Vlrico de Malticz, Tylikino de Hunsberg, Reynhardo de Zeuschin militibus, et quam pluribus aliis fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; an einem Pergamentstreifen hängt das beschädigte Reiter-siegel des Markgrafen.

Wilkii Ticemannus. Cod. dipl. p. 107.